



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 10. Granata a Maurorum Rege tradita Ferdinando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A. C. 1491

Maurorum Regi ad alendam familiam suam ampla constituebatur pensio; verum potior pars eorum, qui antea ejus partibus adhærebant, illo relicto in Africam secesserunt.

§. X.

Granata a Maurorum Rege tradita Ferdinando.

Impendente termino, quo Granatensium Rex Albambram, ceterasque arces traderet, Cardinalis de Mendoza Archiepiscopus Toletanus illuc se contulit, urbium claves nomine Reginae Castellanae recepturus; hunc comitabantur Ministrorum suorum potissimi, necnon Procerum quam plurimi, quos selectior Hispanorum militia sequebatur. Conditionibus integra fide adimpletis, cunctisque urbibus traditis, Cardinalis Crucem, quæ ipsi præferebatur, in summa turri constituit, geminum quoque vexillum D. Jacobi, Ferdinandi & Isabellæ in aggeribus erexit, statimque subsecutus est gratulantium clamor, & impatiens moræ lætitia, necnon festivus omnium belli tormentorum fragor. Eo facto Reges Catholici quantocius ex castris ad urbem contendunt, illius possessionem recuperaturi, quibus Rex adolescens obviam egressus est, ut urbis claves redderet,

ret, postea ipse colloquio utrinque haud Sæcul. XV. A.C. 1491.
 vulgari officiorum significatione habito
 discessit, earum urbium, quæ eidem pro
 aula regia designatæ fuerunt, possessio-
 nem occupaturus, Ferdinandus vero
 ejusque conjux Granatam ingressi sunt,
 cujus magnificentia ess maxima admira-
 tione defixit.

Referunt enim Historici, urbem hanc Did. de Mu-
ros hist. ver.
gest. contra
Maur.
Marian. hist.
Hisp. l. 13.
c. 1. & l. 24.
25. & seq.
 sexaginta millibus ædium superbiisse præ-
 ter plurima, eaque splendidissima pala-
 tia a Bulharo Granatensium Rege tam
 ingentibus impensis erecta, ut ipse au-
 rum novo artis ingenio verum progenuif-
 se a suis crederetur. Ipsi quoque Grana-
 tenses incolæ adeo divitiis erant poten-
 tes, ut Regi suo decies centena aureo-
 rum millia & amplius quæstannis pende-
 rent; nihilominus tamen, postquam
 amplissima hæc urbs ab Hispanis occupa-
 ta fuerat, nec incolarum numero, nec
 opibus adeo celebris fuit. Illius situs,
 ac turrium ordo iis, quæ Cæsar de illa
 in suis Commentariis enarrat, apprime
 consonant. Ceterum hæc sola urbs am-
 plitudine sua, æstivi aeris clementia ac
 puritate, & fontium copia ceteras Hi-
 spaniæ civitates longo intervallo antecel-
 lit, unde apud Mauros proverbii locum
 obtinuit: illam cœli regionem, quæ Gra-
 natam complectitur, Paradisi sedem esse.

F f 4

Quippe

Sæcul. XV. Quippe irrigatur Daro amne, quem in quatuor partes interfectum excipit Granata, Albambra, Albaizina, & Anticaria. In suo circuitu quatuor Leucas numerabat Granata, undique muris cincta, in quibus mille triginta turres, totidemque pinnae his superimpositæ exurgunt.

§. XI.

*Nomen REGIS CATHOLICI
Ferdinando & Isabellæ a Pontifice datum.*

Paul. emil. Castellæ & Arragoniæ Reges in triumpho, more veterum Victorum, Granatensem urbem ingressi sunt, ibidemque deditiois pacta summa Religione servare, remque publicam bonis legibus instruere curabant; postea non modo Nobiles, sed & plebeios sibi tam feliciter devinciebant, ut Regiæ clementiæ fama per universum Regnum divulgata, quivis novis suis Principibus prompto animo obsequium profiteri certaret, sique forte mutati regiminis tædium quempiam incesset, id tamen populus tanta dexteritate celabat, ut vix ullum illius indicium exterius prodiret, quamdiu Ferdinandus & Isabella, hujus populi domitores, sceptrum rotabant. Præterea nobili hoc triumpho Religio Christiana per totam Hispaniam propagata fuit, non

Paul. emil.
l. 8.

Froissard.
l. 1.

Marian. l. 7.
c. 4.

Baron. an.
738.